

riosiorem triumphis locum mortis invenit. Quid Jonatham fratrem ejus attexam, qui cum parva manu adversus exercitus regios pugnans, desertus a suis, et cum duobus tantum relictus reparavit bellum, avertit hostem, fugitantes suos ad societatem revocavit triumphi? Habes fortitudinem bellicam, in qua non mediocris honesti ac decori forma est, quod mortem servituti preferat ac turpitudini. Quid autem de Martyrum dicam passionibus? Et ne longius evagemur, non minores de superbo rege Antiocho Machabæi pueri reverxerunt triumphum, quam parentes proprii. Siquidem illi armati, isti sine armis vicerunt. Stetit invicta septem puero- rum cohors, regiis cincta legionibus: defecerunt suppicia, cesserunt tortores, non defecerunt martyres. Alius corium capitidis exutus, speciem mutaverat, virtutem auxerat. Alius linguam jussus amputandam promere, respondit: Non solum Dominus audit loquentes, qui audiebat Moysen tacentem¹⁾. Plus audit tacitas cogitationes suorum, quam voces omnium. Linguae flagellum times, flagellum sanguinis non times? Habet et sanguis vocem suam, qua clamat ad Deum, sicut clamavit in Abel²⁾. Quid de matre loquar, quae spectabat laeta filiorum quot funera, tot trophyæ, et morientium vocibus, tanquam psallentium cantibus delectabatur, pulcherimam ventris sui citharam in filiis cernens, et pietatis harmoniam omni lyræ numero dulciores³⁾? Quid de bimulis loquar, qui ante palmam victoriae acceperunt, quam sensum naturæ? Quid de sancta Agne, quae in duarum maximarum rerum posita periculo, castitatis et salutis, castitatem protexit, salutem cum immortalitate commutavit? Non prætereamus etiam sanctum Laurentium, qui cum videret Xystum episcopum suum ad martyrium duci, flere coepit, non passionem illius, sed sua remansionem. Itaque his verbis appellare coepit: Quo progredieris sine filio, pater? Quo, sa-

1) Mach. 7. Exod. 14. 2) Gen. 4. 3) Mach. 7.